



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

95. An non baptizatus possit ese Patrinus in Baptismo, & cognationem contrahat? Idem est in Confirmatione. Et an recipiens postea Fidem, & Baptismum possit validè conjugari cum persona baptizata, aut ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

contra hoc ex Decreto Concilij facientem peccare mortaliter.

Tertio, quod Hæreticus possit in patrinum admitti, cum Catholicus commode reperiri non possit.

Quarto, quod quando baptizatur filius parentum infidelium, Minister baptizans, & tenens non contrahit cognationem spirituales cum his parentibus non baptizatis. Ex part. 9. tractatu 7. & Misc. 2. Refol. 51.

Sup. hoc magis late infra ex Ref. 101. §. Quarto secundo, & seq.

§. 1. **V**Xorem simul cum marito filium alterius in Baptismate suscipere, nulla auctoritate reperitur prohibitum, ut dicitur in can. *Quod autem*. 30. *quest.* 4. subditur tamen ibi: *Sed dignum esse decernimus, ut utrique insimul ad hoc aspirare minime præsumant.* Quod præterea quidam veniale peccatum esse existimant. Alij nullum peccatum esse dicunt, sed solum minus decens.

Sup. hoc infra, lege doctrinam §. 1. Ref. 96.

2. Notandum est etiam, quod statuit Concilium Tridentinum *sess.* 24. *c.* 2. *de reform. matrim.* ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus, & una baptismatum de Baptismo suscipiant, &c. Si Parochi culpa, vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarij puniatur. Ex quo rectè colligunt aliqui, duos viros etiam solos, aut duas mulieres, etiam solas, non posse esse susceptores. Alij colligunt, Parochum contra hoc Decretum facientem peccare mortaliter, Nonnulli tamen solum venialiter peccare existimant. Et omnia observat hæc etiam Serra in 3. part. D. Thom. q. 67. art. 7. & Perez de matrim. disp. 29. sect. 5. n. 3. & 4.

Sup. hoc in fine §. not. præterita.

3. Nota secundò, Hæreticum posse in patrinum admitti cum Catholicus commode reperiri non potest. Docet Layman *lib.* 5. *tr.* 2. *c.* 9. *q.* 3. *in fin.* Sed hæc opinio admittitur à Castro Palao *tom.* 4. *tr.* 19. *disp.* un. *punct.* 11. §. 1. n. 9. [Si Sacerdos timeat probabiliter, parentes baptizati graviter esse offendendos ob patris hæretici repullam, vel timet delaturos esse filium ministro Hæretico baptizandum; quia eo casu Sacerdos minus malum permittit, ut graviora evitet. Verum si absque gravi offensione parentum potest Sacerdos Catholicus Baptismum expulso patris hæretico ministrare, nullo tamen adhibito patris hæretici adhibere non potest; credendum potius debere ministrare Baptismum absque patris hæretici adhibere non potest; credendum potius debere ministrare Baptismum absque patris hæretici adhibere non potest.] Ita Palao, quod rationibus confirmat.

Quod hoc lege doctrinam §. Et post Ref. seq. & lege etiam per totam, & si placeat. Vide etiam Ref. ejus annotationi.

4. Nota tertio, quando baptizatur filius parentum infidelium, ministrum baptizantem, & tenentem, non contrahere cognationem spirituales cum his parentibus non baptizatis; sed posse liberè ex hac parte inire cum iis matrimonium, si convertantur ad fidem, & baptizentur, censent Durandus in 4. *dist.* 42. *q.* 1. n. 9. Sotus *q.* 1. *art.* 3. Palatius *disp.* 1. Bartholomæus Ledesma *de matrim. dub.* 46. *concl.* 2. not. 1. Petrus Ledesma *qu.* 56. *art.* 3. Sanc. *lib.* 7. *disp.* 60. Potius *lib.* 7. *c.* 40. Bonacina *qu.* 3. *punct.* 5. §. 2. n. 20. Rebellius *de oblig. just. part.* 1. *lib.* 3. *q.* 6. & quidem alij. Quorum fundamentum est: quia cognatio spiritualis est tanquam mutua relatio: sed infideles ex parte sua non sunt capaces hujus cognationis; ergo nec etiam fideles, qui fuerunt ministri in Baptismo, contrahunt hanc cognationem cum infidelibus parentibus filij baptizati. Alij verò putant, supradictos suo modo cognationem spirituales contrahere, ita, scilicet, ut non possint validè matrimonium cum iis inire, si convertantur, & baptizentur. Ita sentiunt D. Antonius in 3. *part.* 1. *cap.* 15. §. 3. Orbellius in 4. *dist.* 42. *q.* 1. §. 5. Coninch. *hac* 3. *part.* *tom.* 2. *diff.* 32. *dub.* 2. n. 27. Sylvester in *Summ. verbo,*

matrimonium, 8. *quest.* 7. *conclus.* 12. cum aliis.

5. Nec obstat incapacitas ex parte ipsorum infidelium. Tum, quia in tali casu cognatio non esset mutua eodem modo ex parte utriusque extremi, sed esset veluti subjectivè in personis fidelibus, & tantum terminativè ex parte infidelium. Tum, quia esset, & evaderet mutua pro eo tempore & statu, quo infideles ipsi venissent ad fidem, & baptismum. Quod est dicere, lege Ecclesiastica impediri fideles ad incedendum matrimonium cum parentibus filij baptizati; & subdendos esse etiam huic impedimento ipsos parentes, quando venient ad fidem. Et idèd utraque opinio videtur mihi probabilis.

## RESOL. XCV.

An non baptizatus possit esse patrinus in Baptismo, & cognationem contrahat?

Idem est in Confirmatione.

Et an recipiens postea Fidem, & Baptismum possit validè conjugari cum persona baptizata, aut cum parentibus ejus?

Idem est dicendum in hoc ultimo casu, si persona infidelis baptizaret infantem.

Et quid de Catechumeno, Hæretico, & de aliis diversis personis baptizantibus, vel rebaptizantibus, aut suscipientibus baptizatum? Ex part. 10. tract. 16. Misc. 6. Ref. 89.

§. 1. **A**firmativè respondet P. Aversa in 3. D. *Thomæ*, *quest.* 67. *sect.* 1. *conclus.* 5. qui adducit Archidiaconum, Toletum, Paludanum, & alios; ita ut recipiens postea Fidem & Baptismum, non possit validè conjugari cum persona baptizata, aut cum parentibus ejus. Et ratio est, quia optimè poterat Ecclesia statuere tale vinculum, seu matrimonij impedimentum inter unam personam fidelem, & alteram infidelem, si & quando veniat ad fidem: & in hoc genere ita videtur statuisse hoc impedimentum cognationis absque distinctione & exceptione. Quare si potuit statuere, ac de facto statuit, quando Minister in Baptismo est fidelis, in ordine ad alias personas infideles: ita pariter dici potest, quando Minister ipse est infidelis in ordine ad personas fideles. Et sanè in hoc etiam apparet talis decencia, ut vir infidelis, qui baptizavit puellam, si postea convertatur, non possit eam ducere in uxorem, & ita nec matrem ejus, & sic in quocumque hujusmodi casu, in qua re habemus exemplum in aliis quoque impedimentis matrimonij. Ubi crimen adulterij, & machinationis cum promissione futuri matrimonij inter unam personam infidelem, & alteram fidelem, pariter inducit impedimentum matrimonij, sicut inter duas personas fideles, ex capite 1. de conversione infidelium: & consanguinitas, atque affinitas non solum ex copula, licet sed etiam illicita, & publica honestas, sive ex matrimonio rato, sive ex sponsalibus, non solum inter unam personam infidelem, & alteram fidelem, sed etiam inter ambas infideles, valet adhuc inducere tale impedimentum ex jure ipso Ecclesiastico, ut si convertantur ad fidem, non possint inter se conjugari, sicut non possunt alia persona fideles cum his impedimentis. Et crimen etiam machinationis, vel adulterij inter ipsas personas infideles, videtur impedire inter illas matrimonium, si convertantur ad fidem. Quare sic tandem, etiam si unus infidelis sit Minister

Sup. hoc eundem infra in tr. 2. Ref. 21. ex doctrina §. 2. ad lin. 7. vers. Sed in Baptismo, & ex Ref. 11. §. 2. ante media ref. In Baptismo. Et pro Confirmatione in hoc casu late in Ref. 2. hujus annotationi. & in aliis ejus annotationi.

ster in Baptismo filij aliorum pariter infidelium; si postea omnes convertantur, adhuc dici potest inter eos adesse impedimentum, ne ad invicem conjugari valeant.

2. Verum his non obstantibus sententia docti, & amicissimi viri non adhaereo, sed negativam teneo cum Pontio, Filiucio, Henriquez, Candido, Ledesma, Navarro, & aliis, quos citat & sequitur Leandrus de Sacram. tom. 1. tract. 2. disp. 7. quest. 13. & 14. quibus ego addo Conich. in 3. part. q. 72. artic. 10. Reginaldum tom. 2. lib. 32. num. 157. Sanchez de matrimon. lib. 7. disp. 60. num. 7. Rebellum part. 2. lib. 3. quest. 6. num. 6. Martinum Perez de matrimon. disp. 29. sect. 2. mem. .... Castrum Palatum tom. 4. tract. 19. punct. 11. §. 1. num. 4. Estium in 4. sent. dist. 6. §. 3. Ledesnam de matrimon. quest. 56. artic. 1. Emanuelem Sa verb. matrimonium, ubi de impediment. diriment. num. 5. Valentiam tom. 4. disp. 4. quest. 2. punct. 3. Palacium in 4. dist. 7. disp. 3. & alios penes ipsos.

3. Probatur haec opinio; nam cognatio spiritualis non est de jure divino naturali, neque de jure naturali positivo, sed tantum de jure Ecclesiastico, unde ejus obligatio eos tantum constringit, qui Ecclesiae legibus subiciuntur; sed infideles legibus Ecclesiae minime sunt subiecti; ergo cognationem spirituales contrahere non possunt. Secundò ex cognatione carnali, ad cognationem spirituales pollumus similitudinem trahere, sicut enim ex vita carnali, cognatio carnalis; ita ex vita spirituali cognatio spiritualis exoritur; & quemadmodum non habens vitam carnalem, alteri eam dare non potest; sic non habens vitam spirituales, eam alteri tribuere nequit. Manifestum est autem, infidelem non habere vitam spirituales, per quam in gratia Christi vivit; ergo eam dare non potest, & per consequens spirituales non generat; ex quo cognatio spiritualis oriri potest. Ergo, &c. Quod si contingat, infidelem aliquando filium fidelis baptizare, equidem Baptismum ab ipso collatum, esse validum, & ratum minime negamus; sed non per hoc habendus est tanquam Pater spiritualis baptizati: sed tanquam instrumentum necessitatis, quo sancta, & pia mater Ecclesia utitur in casu extremae necessitatis; quando dignior minister haberi non potest; quod non sine magno pietatis affectu consuluit; ne videlicet infantes filij Christianorum absque Baptismi Sacramento decederent, ac proinde Regni caelestis hereditatem amitterent. Tertio ex cognatione spirituali obligatio exoritur, per quam patrinus baptizatum instituere tenetur: quemadmodum colligitur ex Concilio Tridentino, sess. 24. conf. 2. de reformat. & ex cap. in Catechismo, & seqq. de consecr. dist. 4. & nos in cap. 1. lib. 3. ver. precipuum autem munus, sufficienter probavimus. Sed quomodo infidelis poterit baptizatum opportuno tempore de rebus fidei Christianae instituere, cum haec ipse penitus ignoret? Dicendum est ergo, quemlibet infidelem hujus cognationis spiritualis esse omnino incapacem.

4. Et post haec scripta, praeter Doctores citatos, inveni nominatim contra P. Averfam, nostram sententiam docere etiam P. Lugo de Sacram. lib. 2. cap. 7. quest. 7. n. 52. \* Unde ex his colligo primo, Infidelem, sive baptizet, sive susceptor sit in Baptismo, aut Confirmatione, nullo modo hanc cognationem contrahere, quia, ut dixi, illius incapax est. Colligo secundò, Haereticum baptizantem, vel personam in Baptismo, aut Confirmatione suscipientem, contrahere hanc cognatio-

Tom. I.

nem; quia caractere Baptismi insignitus est, atque ideo capax est cognationis spiritualis, & legibus Ecclesiae subicitur. Colligo tertio, Catechumenum esse incapacem praedictae cognationis, sicut nec Sacramentorum esse capacem; quia non procedit ab eodem stipite, nempe Christo, per spirituales regenerationem, mediante visibili Sacramento Baptismi. Colligo quarto, si Christianus una cum infideli suscipiat puerum, vel alter suscipiat, altero baptizante, non contrahi cognationem cum infideli, utpote qui illius expertus est: bene tamen cum Christiano; quia utile non vitatur per inutile, quando commode separari possunt, reg. utile, de regul. jur. in 6. Colligo quinto, Infidelem baptizantem, vel suscipientem, non contrahentem cognationem ex eo actu tempore infidelitatis, quamvis postea baptizetur dictus infidelis. Ratio est, quia quod à principio nullum fuit, convalescere nequit. Quare ille infidelis postea baptizatus, poterit matrimonia contrahere cum persona à se baptizata, vel suscepta, & cum ejus matre; quia cum neutra contraxit cognationem spirituales, tanquam illius incapax. Colligo ultimo, esse capacem spiritualis cognationis auctum, qui Baptismum re suscipit, tamen ob in dispositionem suam sanctificantis gratiae spirituales vitam non acceperit; quia utrum eam acceperit, necne, certò Ecclesiae constare non posset, constat autem certò, quod Baptismum re susceperit, & que proinde regeneratus à Christo spiritualiter. Et etiam ex dictis colligi potest, cognationem spirituales compaternitatis non convalescere, nec oriri cum parentibus illis infidelibus, licet postea illi baptizentur. Quia quod à principio irritum fuit, convalescere nequit, reg. non firmatur, de regulis juris in 6. & reg. quod ab initio, ff. de regul. ur. Deinde potest etiam colligi inter infidelem sic baptizantem, vel suscipientem, & parentes illos infideles, etiam postea baptizentur, posse consistere matrimonium. Quia nulla inter eos spiritualis cognatio est suborta. Non verò poterit iste fidelis matrimonium inire cum persona à se baptizata, vel suscepta. Quia cum illa vere contraxit cognationem spirituales. In quo differt ab illo alio casu, in quo baptizans, vel suscipiens est infidelis, iste enim nequit contrahere ullam cognationem spirituales, cum sit illius incapax, quia est infidelis: at in hoc casu baptizans, vel suscipiens est infidelis.

#### RESOL. XCVI.

Possintne in Baptismo assumi in Patrimos duo viri, unus ut interveniat nomine proprio, alter Procuratorio nomine mulieris?

Et supponitur, quod numerus Patrimos in Baptismo designatus, & quoad summum ex Concilio Tridentino debent esse duo, vir, & femina.

Et an supra id Episcopus dispensare possit?

Et an quilibet puer in quacunque aetate, dummodo sit capax rationis ad mortale peccatum committendum, possit obire munus Patrimos?

Et notatur, quod, quando quis suscipit aliquem in Baptismo per Procuratorem, neque ipse, neque Procurator contrahunt cognationem spirituales.

Idem est, quando quis mittit Nuncium, aut Procuratorem, ut in nomine suo alium baptizet, aut confirmet.

F. Et